

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

73. Aqua fortis cum spiritu Vini mixta Paracelsi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

## XV. GENUS.

*Menstrua mineralia simplicia ex spiritu vini phil. & spiritibus acidis, utpote Aqua forti, spiritu nitri, spiritu sulphuris, salis, &c. Aceto destillato, &c.*

73: Aqua fortis cum spiritu vini mixta Paracelsi,  
*In tinctura Paracelsica p. 37. Aurei Veller. Germ.*

R. **V**inum optimum (*rubeum vel album Lullii*) rectificata toties donec linteum in eo madefactum & accensum comburatur. Hic spiritus vini dicitur Essentia. R. Vitrioli libras duas, nitri libram unam, de quibus destilla Aquam fortem in Essentiam vini prædictam, postea digere per 10 dies ut bene uniantur.

## Annotationes.

**Q**uod Adepti diversimode tam cum oleis quam Aridis acuerint vini phil. spiritum, sufficientem dedimus exemplorum copiam in antecedentibus menstruorum vegetabilium generibus; jam quibus modis acuendus sit hic spiritus Acidis monstrabitur in menstruis sequentibus. In præsentis decimo hoc quinto genere jungemus unctuosum vini phil. spiritum aliquibus spiritibus acidis, ut eorum aciditate adjutus celerius & facilius quam antea solus Arida dissolvat & perficiat. Paracelsus in recepto nostro, ut nimiam effervescentiam in dissolutione spiritus vini phil. in Aqua forti compesceret, Aquam fortem destillavit  
in

in vini spiritum, ut ambo paulatim commiscerentur, quæ ita invicem commixta porrò digessit per dies decem. Idem menstruum describitur a Trithemio.

## 74. Aqua fortis cum spiritu vini mixta Trithemii.

Pag. 46. aurei Velleris Germ.

℞. Spiritus vini libras tres, Vitrioli, Nitri, ana libram unam, destilla spiritus Aquæ fortis in prædictam Aquam vitæ, digere per octo dies.

Quantitas hæc Aquæ fortis insufficiens est ad dissolvendum libras tres spiritus vini; forsitan pro libris totidem intelligendæ sunt uncia. Nullum hic requiritur artificium, dummodo Acidum & oleosum commisceantur invicem. Olim, vice Aquæ fortis, Adepti usi fuere Aceto destillato pro hoc Menstruo. Ita

## 75. Acetum cum spiritu vini mixtura Basili,

Cap. de Wein Essig. in Repet. Lapidis.

Der Wein Essig (Acetum Vinum, verbum indeclinabile simplex) non est Acetum Philosophorum, quod liquor alius est, ipsa videlicet lapidis materia, quoniam ex Azot Philosophorum, conficitur lapis Philosophorum. Acetum vinum vero componitur ex communi Azot destillato (Aceto com.) & spiritu vini (videlicet philosophici:) Et alibi libro de Particularibus de particul. Veneris.

De hac, inquit, preparatione modo locutus fui parabolicè in libro Clavium (in Repetitione) capite de Wein Essig, ubi dixeram quod commune Azot (Acetum) non sit materia lapidis, sed Azot nostrum sive materia prima extractum è com-